

principii imperantis, sed sunt servi sicut principii elicientis et subjecti. Igitur actio a voluntate imperata est illa cujus principium movens est voluntas, sed principium elicitedum et subjectum sunt potentiae motae et applicatae quoad exercitium a voluntate ipsa.

Imputabilitas. Imputabilitas in genere est actionis habitudo ad agens, vi, cujus ea potest et debet tribui agenti ut effectus causae. Ut vero moralis est, definitur: Actionis habitudo ad agens, vi, cujus actionis bonitas vel pravitas tribuitur agenti ut ejus perfectio vel imperfectio.

MERITUM. Exigentia retributionis quae actioni inest ob emolumentum quod alteri confert. Ita actui meo quo beneficium alicui confero inest exigentia qua retribuitur ab eo saltem animi grati testimonium. Meritum est de condigno vel de congruo.

Conditiones ad meritum. 1a Quod actio a libertate procedat; ubi enim libertas deficit, deficit ipsa moralitas, et consequenter ipsa justitia, quam meritum vel demeritum important. 2a Quod actio cedat in emolumentum alterius vel nocumentum, ut manifestum est ipsius meriti notione. 3a Quod actio in ordine ad emolumentum alterius non debeat poni ex peculiari contractu: nam in hoc casu justitia seu aequalitas, in qua meritum fundatur, actione ipsa ponitur, quin actus ad aliam retributionem ex justitia ordinetur: secus abiretur in infinitum in ordine meritorum et retributionum.

Meritum de congruo est ordo operis ad praemium non quidem vi operis sed magis ex decencia, amicitia, liberalitate praemiantis; ut cum Princeps militi generoso, praeter stipendium debitum, confert titulum nobilitatis, vel aliquid hujusmodi.